SUMMO ARCHIATRO BENEDICENTE.

DISPUTATIONEM INAUGURALEM MEDICAM

De

FEBRE QUARTANA INTERMITTENTE,

JUSSU ET AUTORITATE

ILLUSTRIS AC GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ IN CELEBERRIMA ACADEMIA JENENSI,

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO ET EXCELLENTISSIMO,

DN. RUDOLPHO WILHELMO Craußen/

PHIL. ET MED. DOCT. PRACT. ET CHIM. PROF. PUBL. ORD. FACULTATIS SUÆ SENIORE GRAVISSIMO,

nec non S. R. I. Naturæ Curios. Collega Primario,

HOC TEMPORE ACADEMIÆ RECTORE MAGNIFICO,

Domino Patrono & Promotore suo colendissimo,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, PRIVILEGIA AC INSIGNIA DOCTORALIA LEGITIME CAPESSENDI

publico examini subjiciet

JOHANNES ADAMUS SCHOTT

MOENO-FRANCOFURTENSIS,

IN AUDITORIO MAJORI,

Horis ante & postmeridianis

Ad diem Decembris Anni M DC LXXVIII.

LIBERÆ
SACR. ROM. IMPERII
REIPUBLICÆ
FRANCOFURTENSIS
INCLYTO ORDINI
SENATORIO,
VIRIS
GENEROSIS, PRÆSTRENUIS
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS, PRUDENTISSIMIS,

DN. PRÆTORI

DNN. { CONSULIBUS,
SCABINIS,
SYNDICIS,
SENATORIBUS,

PATRIÆ PATRIBUS, EVERGETIS
PATRONIS ET PROMOTORIBUS SUIS
ÆTATEM VENERANDIS,

DISPUTATIONEM HANC INAUGURALEM

DEDICARE

ET

SE

ET

SUA

STUDIA

QUAM HUMILLIME CONSECRARE

DEBUIT

VOLUIT

TANTORUM VIRORUM

SUBJECTISSIMUS

DEVOTISSIMUS

CULTOR

JOHANNES ADAMUS SCHOTT

In Nomine Jesu!

Procemium.

NEmini mortalium magis, quam Medico amplæ famæ necessarium esse studium autumo; tanti quippe æstimatur medicamentum, quanta præscribentis fama est, & autoritas.

Famæ Medicorum juratus hostis est QUARTANA INTERMITTENS, & jam olim unà cum aliis rebellibus morbis eò dementiæ adegit quosdam misiatros, ut ipsam Medicinam iverint negatum.

Intractabilis ipsius genius tàm altas sæpè in imis viscerum medullis radices ponit, ut omnem, etiam exercitatissimi Medici ludat operam. Mille sæpè formas induit, & fuste hâc expulsa parte, mox illac sub aliâ recurrit imagine. Atque licet nulla ætas aut inveniendis naturæ arcanis, aut debellandis morbis, hâc nostrâ illuxerit felicior; nihilominus tamen etiamnum hodiè quartana antiqvum suum obtinet, & vulgò Medicorum audit opprobrium.

Hujus tyranni præfracta frons mei, meæque curtæ supellectilis me planè reddidit immemorem, ut loco Inauguralis speciminis vindicare famam medicam in animum induxerim. Quanquam autem me id assecuturum fermè desperem, dum huic Herculeo morbo me imparem ingenuè profiteor; in hunc tamen scopum collimasse

 sufficiat,

sufficiat, & aliqua forsan laudis pars erit, ejusmodi ausis vel excidisse.

Quoniam verò nostra in literis peregrinatio, sine supernâ luce, miserabilis est erratio; ideò Divinum imploramus Numen, ut illud in præsenti nostra sit cynosura, ne pro Junone amplectamur nubem.

CAPUT I.

De Definitione nominali.

NUcleum qui cupit, corticem frangat oportet. Sic qui rem aliquam ambiguis involutam proponit nominibus, illum eadem, cum non nisi cortices & involucra rerum ipsarum sint, antè evolvere & explicare oportet. Mihi in propositi affectus explicatione circa nominis evolutionem multum temporis & studii insumendum non erit; apertè enim in titulo Disputationis dixi, me acturum de FEBRI QUARTANA INTERMITTENTE, quod etiam ab eô, qui saltim limites Medicinæ attigit intelligi posse, nullus dubito.

Et quid quæso facilitatis accederet curationi operosa disceptatio, an *febris* ab antiquo verbo februare, quod idem est ac purgare, Germanicè fegen/unde Februarius Mensis & Juno februata dicuntur; An verò à fervere, quia sangvis in febribus effervescens totum corpus fervere seu incalescere facit, melius deduci possit? Ne hilum quidem, possunt ergò de his legi Autorum Lexica, inter quæ evolvi meretur Cornucopiæ *Nicolai Perotti*.

Sic etiam notum est, quod *Quartana* audiat à periodo quarto quôvis die remeante: namque utrum febris aliqua tertiana sit, an quotidiana, an quartana, ex intervallo, quod inter accessiones est, colligitur.

Intermittens dicitur, quod ejus faces non continuis ardeant ignibus, sed biduanam habeant intermissionem & tantùm quartus quisque dies tortor evadat, secus ac in Quartana continua fieri observamus.

Inde

Inde quoque ſatis liquet ab homonymiâ ſeu ambiguo ſignificatu liberum eſſe hunc titulum; niſi enim aliquis forſan moleſtias vel labores quarto quovis die recurrentes ita inſignire vellet, vix reperio, cui commodè applicari poſſit.

Alio quidem nomine me affectum iſtum inſignire potuiſſe non diffiteor, ſiquidem memini plurimis abſolutè quartanam dici. Sic *Plinio* febris quatrina, aliis morbus quartanarius audit. *Mercurialis* exiſtimat, hanc eſſe febrim illam, quam *Lucilius* & *Plautus* Querqueram vocant, à ſonitu, quem tremore & frigore afflicti paroxyſmantes edunt. Novi quoque eam vocari melancholicam febrim à cauſa ipſius, juxta veteres, efficiente, ut & ſcandalum atque opproprium Medicorum, ideò, quod raro aut vix omninò generoſis licet medicamentis cedere ſoleat, unde *Schola Salernitana* non immeritò ingeminat: Hydrops, quartana Medicorum ſcandala plana; potuiſſem, inquam, eôdem quô alii fecerunt jure hanc meam diſputationem hiſce vel aliis quoque intitulare nominibus, ſed, cum riſu potius quàm laude excipiendos cenſeam eos, qui circa cruſtas ac teſtas rerum diu præter neceſſitatem occupantur, & ſic ingenii ſui acumen fruſtrà exercent, ideò curationi, & quæ ad illam facilitandam conducunt intentus, mitto hæc, apertè rem ſub aſpectum quaſi ſubjiciens, & Græcos imitatus, qui πυρετὸν τεταρταῖον vocant. Germani dicunt: Das viertägige Fieber.

CAPUT II.

De Definitione reali.

MIſſis itaque his, ad ipſam affectus noſtri naturam dilucidiùs tradendam, ſive ad definitionem me accingo, quæ quanquam à variis variè proponatur, in ſequenti tamen hâc vice acquieſcere apud animum conſtituimus. FEBRIS QUARTANA INTERMITTENS eſt calida totius corporis intemperies, ab humoribus acidis auſteris, in infimo ventre copiosè ſtagnantibus, præternaturaliter fermentãtibus & circulationis lege, ſtatis temporibus per vaſa chylifera toti maſſæ ſangvineæ cõmunicatis, in corde accenſa,

&

& in totum corpus diffusa, quarto quovis die graviter, cum horrore vehementissimo & dolore dorsi quasi ostocopo paroxysmans & cum debiliori pulsu actiones sensibiliter lædens.

Genus, quod in accidentibus rationem formalem & essentiam constituit, est calida intemperies totius corporis, & hoc cum omnibus febribus commune habet.

Intemperiem esse patet 1. *ex essentialiter inhærentibus* in omni febri requisitis, calore scil. igneo; ex Pergameni enim testimonio *l. 3. de fract. c. 8.* τοῦτ' ἐστὶ τοῦ πυρετοῦ εἶναι, ἔχειν θερμασίαν πυρώδην, ea est natura & essentia febris, igneum habere calorem, deinde pulsu mutato, & hic loci frequentiori. 2. *Ex essentialiter consequentibus* symptomatibus actionum læsarum cujusvis facultatis, in capite de signis recensendis.

Calidam esse intemperiem ex sensu & effectibus patet; licet enim vehemens præcedat horror & frigus, hæc tamen non tàm ad febrim pertinent, quàm illam præcedunt, insuper etiam non tàm diu durant ut calor, ideò à potiori & essentiali meritò fit denominatio.

Consistit verò hæc intemperies in dispositione p. n. partium similarium, quæ quidem mediantibus primis qualitatibus agit, his tamen non absolvitur, sed ad acidum, austerum, viscidum &c. accedit. Estque calor extraneus non tantùm gradu differens à calore animali, sed & generationis modo, & causâ, quatenus ex pugnâ humorum peccantium cum naturali oritur calore, & hunc ipsum etiam destructum it potenter.

CAPUT III.

De Subjecto.

TUrpe duci bellico est hostilis exercitus situm ignorare; ex hujus nempe cognitione accuratâ, quâ parte irruentibus turmis contraeundum sit, patescit facilè: Medici quoque magni interest, ut morborum subjecta probè perspecta habeat. Non solùm oras & littora microcosmi morborum circumvallant agmina; sæpè ex

imis etiam viſcerum medullis regia impugnatur ſedes. Quò igitur & nos ſuccumbenti magis parti ſuccurrere queamus, poſtulat neceſſitas ut ſubjectum rimemur intimiùs; illud verò eſt vel principale, vel minus principale. Principale ſubjectum, quod primum & principaliter in febri hâc laborat, & ſufficienti vi in reliquas partes tantum æſtum diffundendi pollet, ſeu locus ubi radicatur affectus eſt COR; Id quod non paucis rationum monumentis probare poſſemus; quædam ſaltim ut commemorem.

Cor vitalis flammæ in ſtatu ſ. n. diſpenſatorium eſt, eoque exiſtente ſalvo, etiamſi reliquæ partes calore p. naturali urantur, nunquam tamen prius excitatur febris, quàm poſt ejusdem cum corde communicationem, *Vid. Rolf. O. & M. cognoſc. & curand. febres generalis cap.XXIV.* ut & *O. & M.* conſultatoria *lib. IV. conſ. 4. & ſeq.* eundem namque naturalis & p.n. caloris fontem eſſe neceſſum eſt. Inſuper pulſus mutatus ceu effectus cordis haud dubiè teſtatur de affectâ parte.

Afficitur verò cor potiſſimùm quoad partem ſolidam, hæc enim ab inqvinato & corruptó ſangvine per axillarem & cavam venam ad cordis ventriculum dextrum adfluente, calidam contrahit δυσκρασίαν, & non ſolùm fermentô hôc omnem quem generat ſanguinem inquinat, ſed etiam ſic qualificatum per arterias in totum demandat corpus.

Horroris ſubjectum principaliter eſt panniculus carnoſus quoad membranas ſuas, qui inæqualem ſanguinis affluxum non benè fert.

Secundarium & cauſæ ſubjectum ſeu focus mali ſunt tùm viſcera chylum præparantia, & ad cor deferentia vaſa, tùm depurantia ſanguinem.

Helmontius ſtatuit, aciditatem chyli immediatè lienem petentem, mox exhibere quartanam. Aliàs *libro de febribus cap. 10. p.769.* omnium febrium nidum in infimi ventris viſceribus ponit.

Veteres ſoli lieni omnem culpam tribuerunt, qui communiter pro primariô hoſpitio excrementorum craſſorum, cœnoſorum feculentorum & ▽eorum habetur, & hunc per πρωτοπάθειαν, reliquas partes per συμπάθειαν affici putabant. Hanc verò ſententiam ut noſtram faciamus tantum abeſt, ut potius lienis

affectus sæpiùs pro effectu quartanæ habeamus; ita ut materiam morbificam eò loci, ut & ad hepar à robuſtioribus partibus depulſam impingi ibidem & ſtagnare nulli dubitemus. Inſuper uni ſoli visceri primariam mali ſedem ſemper adſcribi poſſe, vero non conſentaneum; ſed modò hoc, modò illud magis affici, ſingula tamen ſuum conferre ſymbolum putamus.

Hæc enim mutuas ſibi exhibent operas, & cum in eundem conſpirent effectum, conjunctam inter ſe habent neceſſitudinem, ut alterum alterius vitia & negligentiam in concreditâ operâ perſentiſcat facilè. Nihilomnius pro originali & generationis ſubjecto, ubi prima mali ponuntur ſtamina, ventriculum microcoſmi promumcondum venditamus. Qui tùm culpâ propriâ, ob læſum ejusdem tonum loco chyli pravas gignit cruditates, tùm ob ipſorum ingeſtorum vitium coctionis officio perfectè fungi nô eſt aptus. Sicuti verò ſoli huic chylificationis opus in ſtatu ſecundum naturam neutiquam tribuimus, ſed hepatis & pancreatis operam hîc quoque neceſſariam judicamus; ita ſi illa vel nulla, vel vitiata contribuunt menſtrua chylum inquinant & corrumpunt, debitâque κράσει & πνεύματώσει privant, & inter ſubjectum cauſæ non injuſtè numeranda ſunt. Deferentia denique vaſa, ut inteſtina, meſenterium & ductus thoracicus, non rarò, quatenus materia peccans horum parietibus adhæret, numerum ſubjecti cauſæ cumulant.

CAPUT IV.

De Cauſa immediata, & mediatis proximioribus.

NOn agniti morbi nulla eſt curatio, omnium rerum cognitio per cauſas acquiritur. Harum igitur evolutioni ut ſtudeamus operæ pretium videtur.

Immediatam Quartanæ *cauſam* vitioſorum humorum ex infimo ventre congeſtorum, cum maſsâ ſangvineâ in corde confuſionem ſtatuimus, quæ ob heterogeneitatem cum M.S. efferveſcentiam excitando paroxyſmum febrilem conſtituit, cum enim ill

illi humores rarefactioni naturali,& sangvinis generationi minus apti sint, archeus tàm promptè illos nequit subigere, ideò pugnam cum iis toties init, quoties nova infunditur materia, quam necessariò horror & frigus præcedunt, quia in illâ disceptatione cor non potest non aliqualiter impediri in actionibus suis, unde quoque minùs liberè undiquaq; distribuitur calor & M. S. cujus inæqualis illapsus in membranas panniculi carnosi frigus & horrorem immediatè causatur. Accedit, quod materia peccans in chylo, cordis calori sit contraria & effectivè frigida, quæ reliqvum concentrando sangvinem multum ad horrorem inducendum confert, & per accidens tantum, ex pugnâ seu effervescentiâ rarefactionem vitiosam, & calorem producit p. n. *Helmont. libro de febribus cap. IX. pag. 766.* deducit eosdem ab archeo, qui excutere intēdit per tremulos rigores adhęrens parti similari excrementum, perinde ac aranea suos quatit casses, ut excutiat illapsa. *Sylvius lib. 1. prax. pag. 215.* omne frigus in febribus deducit à succo pancreatico acidiori. *Harveus* causam frigoris refert in sangvinem fixum, *Exercitat. 50. pag. 193.*

Mediata proximior est chylus, qui sicuti in statu s. n. blandâ dulcedine gaudet, & amicabili evolutione evaporare & spirituascere solet; ita hîc non tàm qualitatibus primis, caliditate, humiditate, frigiditatevè nimiâ peccat, quàm secundis, quatenus crassus, viscidus, tenax, austerus, scorbuticus & acidus existit. Ob quam constitutionem, in regiâ ad cor meando viâ, tamdiu moras nectit, obstructionesque particulares venarum lactearum, & ductus chyliferi causatur, usque dum collectam quantitatem vasorum cavitas capere renuit. Quô factô à nimiâ repletione turgentia vasa, solicitante archeo & horum discussionem urgente in cordis dextrum ventriculum sese exonerant, qui in laudabilem sangvinem rebellem hanc, & magis coagulantem, quàm rarefactioni aptam materiam versurus, pulsum celeriorem excitat.

In naturali enim statu post paucas horas à cibo sumpto, cum chylus jam per venas Asellianas ad cor, ceu perfectorium suum pertingit, citatiorem cordis motum percipimus, quod materiam adhuc aliqualiter crudam subigere allaborat. Imò sæpè horror leviculus ob jam datas causas conjungitur. Quid igitur obstat

quin dicamus chylum ad cor ablegatum eò citatiorem pulſum excitare, quò longiùs à ſtatu naturali diſtat? nec ſilentio prætereundum, quod ipſe chylus non parum conferat ad citatiorem excitandum pulſum. Sicuti enim veteres cum recentioribus in eô conſentiunt, in quartanâ ſangvinem à dulcedine ſuâ balſamicâ deſciſcere, & in aciditatem & auſteritatem tranſire; ita, licet hodiè non toti MS. ſed ſoli chylo id tribuamus; nihilominus ejusmodi humorum cum alcalinis 🜍reis ſangvinis particulis miſcellam ſine efferveſcentia fieri non poſſe, notum eſt ex chymicis principiis. Videre id eſt in præparatione ☿ri ⊕lati, ubi ∼us ⊕li cum ⊖e ☿ri conjungitur, item in præparatione arcani ☿ri, fixatione ⊖ium volatilium &c. hanc verò efferveſcentiam mediante motu, calorem p. n. inducere nemo ſaniorum chymicorum hodiè negare audet. Chyli verò pravi confectionem & ejus μολυσμὸν, acceptam ferimus partim debili calori ventriculi & ejus tono & fibris laxatis, tùm in ſe conſiderato, tùm reſpectu ſubigendorum ciborum, vel qualitate, vel quantitate peccantium, ubì ingeſtorum vincula ab invicem disjungi ritè nequeunt, & nimis citò transmittuntur, nec homogenea ab heterogeneis ſeparari poſſunt, multæque 🜃tres, limoſæ & ☿reæ ſecernendæ particulæ in chylo remanent; partim ejusdem vitiato fermento; hoc enim ſi ex naturali volatili aciditate ad ſolvendos cibos aptiſſimâ in præternaturalem acorem fixum abit, ingeſta quælibet coaceſcere facilè facit, ſuoque proprio ſignat charactere, ut ita acido ſalinæ particulæ, ſuppreſſis reliquis, raptim exaltatæ fluorem nanciſcantur. Quid ergò mirum, ſi hæ partes craſſiores inteſtinorum parietibus firmius impactæ rebelles gignant obſtructiones? purioribus & tenuioribus confuſæ illas in coagulum abire faciant? non ſecus, ac à quovis liquore acido lac coagulari videre eſt. Ad hanc verò chyli p. n. conſtitutionem multum conferunt ex pancreatis glandulosâ ſubſtantia retundans ſuccus acidus, & ex veſiculâ biliariâ emiſſus lixivio 🜍reus liquor; qui ſicuti in naturali ſtatu per efferveſcentiam blandam vel potius 🜄tionem, utilia ab inutilibus ſegregant, ita in hoc caſu ob diſpoſitionem ſuam præt. natur. omnia magis

confundun

confundunt, in vasa ⏝ant, & deteriori qualitate chylum imbuunt, ipsumque ad naturalem rarefactionem ineptum reddunt. Quo in negotio etiam aliquid coutribuunt glandulæ intestinales, quæ chylo juxta ac ipsi lymphæ characterem acidum fermentativum imprimunt.

Veteres hîc loci accusant putridos vapores exhalantis humoris melancholici p. n. seu atræ bilis, quæ ex adustione seu torrefactione humorum reliquorum sanguinis, pituitæ, cumprimis 🜔sæ, bilis flavæ, aut succi melancholici est facta. Alii quartanam â melancholiâ alimentariâ deducunt, quæ cùm hodie explosa sit, ut non ens nullis gaudebit affectionibus. *Willisius tractatu de febribus pag. 99.* pro causâ habet sanguinis â naturâ dulci, 🝆osâ & balsamicâ ob 🝆uum penuriam & partes ♀reas nimis exaltatas, & in fluorem evectas, in acidum & non nihil austerum, instar vini acescentis transitum, quem sanguinis statum chyli dyscrasiam, ut effectus suam causam sequi nos statuimus. *Hartmannus in praxi pag. 887.* atram bilem, & succum pancreaticum copiosum, ut & lienis, â crassis humoribus oriundas obstructiones accusat.

Sennertus libro de febribus pag. 70. cùm veteribus â melancholiâ quartanam deducit, quam quia acidam simul statuit, & sapore variegatam pro causâ haberi non incongruè potest. *Paracelsus* uti in omnibus intermittentibus, ita etiam in quartanâ accusat fermentum 🜕ro-🜍reum, seu 🜂eum, ebullitionem sanguinis p.n. & effervescentiam excitans, quem etiam presso pede sequuntur *Hogelandus, Kergerus libro de fermentatione, pag. 233.* & plurimi chymici. *Sylvius libro praxeos pag. 213. & Grafius de succo pancreatico cap. 11. pag. 635.* pro causâ agnoscunt succum pancreaticum, aliquâ sui parte in uno pluribusve pancreatis ductibus lateralibus obstructis stagnantem, ac morâ acriorem factum, viâqve vi tandem paratâ, in intestina effusum, vitiosamque ibi cum bilis particulis lixivis & °°sis effervescentiam excitantem, quem ad dextrum cordis ventriculum delatum modò majorem modò minorem excitare calorem unà asserit. *Helmontius de febribus cap. 11. pag. 770 & 771.* in ultimâ alimenti digestione causam ponit, ubi dum partes solidæ sibi è sanguine student assimilare nutrimentum, sæpè inter assimilandum degeneres alterationes fieri statuit, has verò ab admistione rei extraneæ impressione pere-

grinâ, indignante & accenſo archeo, & denique inquinato à ſcoriis chylo deducit, quas *ens anoymum* appellat. *Timæus* von Güldenklee *lib. 4. Epiſtolar. medicinal. epiſtol. 7. pag. 739.* accuſat ⊖ſum, craſſum & impurum chylum, multum materiæ feculentæ circa lienem, meſenterium & vicina viſcera cumulantem, concurrente corporis conſtitutione melancholicâ, quæ putredinem concipiens, in febrim exardeſceret.

Qvoad eſſendi modum peccat chylus *quantitate*, quatenus venas lacteas & ductum thoracicum replet, & tenſione doloriferâ gravat. *Qvalitate*, quatenus ⌒uo. ♁reæ particulæ in acorem verſæ ſunt, & ſubjugatæ balſamicæ dulces, acidis fixis dominium ceſſerunt, quæ totam M. S. plus quam Vatiniano proſequuntur odio, ſic, ut in quovis commiſſionis momento totum contremiſcat corpus, dubioque marte calor dimicans ad tempus ſuccumbere cogatur. His interea ⊖inis fixis particulis ſe admiſcent ▽eæ, limoſæ, quæ ab acidis arreptæ in ♀rum abeunt, & circulationi ſanguinis neutiquam velificantur. Quocirca denique etiam *motu* peccat chylus, quatenus non ut in ſtatu ſ. n. ab aſſumto cibo in dextrum cordis ventriculum per venas ſubclavias ſeſe ritè exonerat, ſed partim in vaſis deferentibus ſtagnat & in glandulis turgeſcit quaſi, partim aliquam portionem relinquit, in novum fermentum fatiſcentem, quo accedens denuò alius contaminetur idem, & factâ accumulatione ipſe congeſtus & protruſus in M. S. commercium veniat, & novam ipſi pugnam intendet. Viæ ordinariæ ſunt vaſa lactea, & ductus thoracicus, quandoque ut aliás ab archeo materia peccans certi cuidam viſceri vel pluribus infixa, per horum venas extraordinariè cordi communicatur.

Modus fluxionis naturali chyli circulationi debet originem, quæ hîc ob ineptitudinem materiæ è vaſis ſuis tàm promtè non eluctantis, tam diu impeditur, usque dùm membranulæ vaſorum ſuſtentandæ copiæ incapaces, â particulis ferinis, acribus lancinatæ, quomodocunque poſſunt, contenta eliminant & cordi communicant. Cum verò ob materiæ genium, per moram parietibus vaſorum, non ſecus ac in aquæductibus limoſiores particulæ adhæreſcant; ideò illæ tantùm communicantur cordi, quæ magis fluxiles ſunt & â reliquis craſſioribus obſtructio horum vaſorum non quidem totalis, partialis tamen ſæpiſſimè inducitur.

CAPUT V.

De caussis mediatis remotioribus.

HÆ ſicuti triplices ab autoribus ſtatuuntur; ita I. inter *naturales*, meritò primum locum occupat *Temperamentum* ♄inum melancholicum, frigidum & affectioni hypochondriacæ obnoxium; quod vel à cauſis externis vel peculiari cujusdam viſceris primarii temperamento inductum, activas in corpore particulas, ſub acidi fixi captivat jugo, & obſtructionum eſt feraciſſimum.

Hæreditaria diſpoſitio, quam ſicuti â parte matris, de ejusmodi ⊖e acido fixo participantis, & vel in utero per ſanguinem ſimili diatheſi infectum, vel extra uterum, lacte ſoboli communicantis, multùm conferre hîc poſſe, nemo facilè dubitat: undè in utero materno quartanam congenitam notavit *Schenckius l. 6. obſerv. med. obſ. 38. pag. 48. 7.* ita à parte patris multis negativa placet. Cum enim non omne ſemen ita ad generationem concurrere, ut in fœtus ſubſtantiam, mole & corporaturâ ſuâ totum concedat, vel ex plantis didicere; ideò cum craſſioribus particulis, pelliculæ tantum & involucri vice fungentibus morbificam materiam ſecerni ſibi perſuaſum habent. Nihilominus ipſam nobiliorem ſeminis partem, quæ plaſticam virtutem ſecum continet, ſcorbutico quodam ⊖e characteriſatam eſſe putamus in iis, quorum M. S. talismodi atomis inquinata extat. Effectus enim ſuâ causâ nobilior eſſe non poteſt.

Ætas quidem conſiſtens & in ἀκμῇ conſtituta, ab anno 25. minus reſiſtit quartanæ, ſic ut adultiores utplurimùm ſæpius & gravius afficiantur, quia in illis ſanguis â balſamicâ ſuâ dulcedine ſenſim in aciditatem ♄licam deſciſcit, quo & ipſi jamjam inclinant ♄us; nihilominus quandoque Tros Rutulusve capiuntur eâdem, ut hanc quoque ullo ſine ætatis diſcrimine epidemicè graſſatam fuiſſe annotaverint Autores. Sic infantem trium menſium qvartanâ laboraſſe annotavit *Sennertus libro ſecundo de febribus cap. 20. pag. 296. cap. 2. pag. 24.*) idem habet *Williſius lib. de febrib. pag. 100.*

Sexus ſequior ob temperamentum frigidius, vaſa minora, & vitam ſedentariam, ubi ventilatio ſanguinis non ita ritè peragitur, obſtructio-

ſtructionibus magis eſt obnoxius, nihilominus cum per menſes, ſi hi quidem rectè ambulent, multum dyſcraſiæ vitiatæ iterùm deponitur, vix univerſaliter deterior hujus ſors nobis viſa eſt. Quanquam nec gravidæ ab hujus inſultu maneant liberæ, juxta obſervationem *Excell. atque Experientiſſ. Dn. D. Wedelii*, Præceptoris mei honoratiſſimi.

Inter NONNATURALES, quæ ad hoc malum producendum vel diſponunt corpus, vel materiam præbent, excellit *aer* frigidus, Borealis, craſſus, nebuloſus, ſalsâque aciditate -∽-us figente, inquinatus, cujus mutatio ſola ſæpè malum hoc non minus acceleravit, quàm ſanavit. Talis verò occurrit 1. vel *ob anni tempus autumnale*, quod ideò huic affectui ferè proprium eſt, ut rariùs quartanam oriri videas, niſi hoc ipſo anni tempore, vid. *ſect. 3. aphor. 22.* cum enim ab æſtivo calore plurimùm -∽-us & ♁rearum particularum ſangvinis avolarit, quod reliqvum eſt, faciliùs à frigoris acido conſtipari poteſt (non ſecus ac vinum à nimiâ effervescentiâ aceſcit) & in naturam acidiuſculam & ▽eam cum πνεύματος defectu, facilè degenerat. *Hippocrates* quidem *Sect. 3. aphoriſm. 21.* æſtate etiam quartanas fieri ſtatuit; quod tamen in noſtris regionibus rariùs contingit, vel ſaltim extraordinariè. 2. vel ob *ſoli & cœli conſtitutionem*, unde inprimis in locis maritimis hic affectus endemius eſſe ſolet, ſic ut plurimos illic degentes, aut aliorſum adventantes confeſtim invadat. Ille verò non ſolùm per vaſa pnevmonica attractus noxam infert corpori; ſed etiam per cutis ſpiracula cum ſangvine communicatur & paſſim nervoſas partes aciditate ſuâ lædit, ventriculi calorem deſtruit, ſangvinis retardat circulum, & ad febrilem hanc diatheſin ſangvini inducendam aptiſſimus eſt.

Aſtrorum influxus quoque non eſt de nihilo, inprimis omnibus infauſtus ♄nus, juxta *Rolfinc. O. & Meth. libr. 2. ſect. 3. cap. 52. pag. 120.* in ſextâ retrogradus quartanas inducere dicitur. Qui eò pertinacius malum fovet, quò minus felici aſpectu ♃is, ☉is vel ♀ris mitigatur & contra.

Cibus & potus ſicut modicè aſſumtus ad ſanitatem corporis noſtri conſervandam multum confert; ita ſi vel quantitate vel qualitate ingeſta peccant, ſtrenuè ſub cauſarum militant vexillo.

Si

Si enim in nimiâ ingeruntur copiâ, ſtomachale obruunt fermentum, unde centrali ingeſtorum reſolutioni impar ventriculus uniendo & ſegregando crudum generat chylum, ▽eis, viſcoſis, acidis, uno verbo 🜿eis particulis refertum, qvi obſtructiones poſtea cauſatur varias. Huc etiam pertinet ciborum diverſorum & contrariorum aſſumendi conſuetudo, qui ſimili caloris gradui non omnes æquè obſecundant, ſed hi celeriùs, illi tardiùs egrediuntur iterum, qvò & cibandi tempus inordinatum ſpectat, ubi priori nondum perfectè concocto novus iterum ſuperingeritur cibus, vel qvando poſt cibum ſumtum potu nimio inundatur quaſi ſtomachus, ubi præſentaneæ cruditates generantur & coctio non ſecus ut in olla, per iteratam ▽æ affuſionem retardatur. Sin verò qualitate peccent cibi, neceſſariò horum genium ipſe chylus ſervat. Sic cibi craſſi, viſcidi, fumo nimis induratæ carnes vel ſale & muriâ conditæ, item vitulinæ, & piſces inſalubriores, panis furfuraceus, non ſatis fermentatus, cereviſia feculenta & acida omnia craſſum, viſcidum & acrem generant chylum, qvò & acetum pertinet, â cujus nimio uſu ſolo quartanam exortam notârunt autores; Licet enim & potu & fotu ſtomacho conducat, facilè tamen ſi excedatur, in ejus uſu, volatile acidum fermentum ventriculi in fixum mutat acorem, qvi characterem ſuum ipſi chylo tàm firmiter non raró imprimit, ut 🜍reæ ab hoc ligatæ particulæ exaltari poſteà maneant neſciæ. Tabaci fumus quoque exceſſivè & à repletione ſtomachi hauſtus, nutritium ſerum abſumendo viſcidum producit chylum. Et licet ſanis omnia alioquin ſana ſint; nihilominus in iis qvi vitam amant ſedentariam, & ventriculo gaudent laxiori, toto die, ex errore diætæ, morborum ilias provenit.

Somnus immodicus cruditates in ventriculo accumulat, totumque corpus ſeroſô replet latice, undè minus difflantur excrementa, undè nativus calor obtunditur, omnesqve actiones ſenſim torpeſcunt, & procraſtinantur. Contrà *Vigiliæ*, & præcipuè lucubrationes nocturnæ, ∾us & calorem potenter perditum eunt, acidos verò in corpore relinquunt humores. Nec tunc perfecta fit chylificatio, cum archeus pluribus intentus minoris ad ſingula perficienda eſt efficaciæ. Unde ſuccoſa chyli dulcedo ſenſim labaſcit, & in acorem vertitur, quem ∾us diſperſi & abſumti temerare amplius non poſſunt.

Non minùs *motus* nimius diſſipat ∾us & abſumit ſerum blan-

dum. Intempeſtivus verò, & ſtatim poſt paſtum inſtitutus chylum crudum in vaſa ≂at, & ejus aërofi ſtruit inſidias. *Qvies* contra aſſidua totum retardat ſanguinis circulum, 🜍reas particulas ſuffocat, excrementa cumulat, & coctionem ventriculi, chylique diſtributionem imminuit.

Excreta & retenta ſubſtantificè augendo materiam peccantem, non parùm adminiculi præbent. Sic à menſibus obſtructis notarunt quartanam alii, alii eandem ab hæmorrhoidibus clauſis obſervarunt, quatenus ſtagnando, ut ▽æ, humores capiunt vitium, nativumqve obruunt calorem. Huc etiam tranſpiratio prohibita, alvus adſtricta, & ⊡æ ſuppreſſio pertinent, quæ planè ſimili modo ad quartanæ generationem concurrunt, & excrementa in toto augent corpore.

Animi pathemata ab adſueto commota ſtatu naturali varias inducunt corpori mutationes. Potiſſimùm metus, terror, & mœror ſuffocant ∽tus, nervos debilitant & laxant, totumqve corpus refrigerant, unde in quartanâ producendâ quantum cooperentur patefcit.

III. PRÆTERNATURALES res cauſarum agmen claudunt, inter illas autem eminet δυσκρασία viſcerum coctioni & depurationi alimentorum deſtinatorum, ob quam officio ſuo, non niſi imperfectè funguntur, quò & obſtructiones vaſorum pertinent. Contagium parum, vel ſaltim rarius hîc quid confert, cum ob fixitatem particularum peccantium miaſmatum communis vector tàm promtè horum atomos ſecum abripere nequeat. In epidemiâ tamen quartanâ aërem multum conferre & in hôc modô malum communicari certum eſt. Inſuper febres continuæ & intermittentes, eæ tamen magis diuturnæ & quivis morbi chronici, potiſſimùm verò ſcorbutus, affectus hypochondriacus & melancholia hypochondriaca, qui archeum heluonum in morem depopulantur, & viſcerum tonum dejiciunt in quartanas creberrimè abeunt. A vermibus quoque in puellâ novennali annotavit quartanam *Foreſtus lib. obſervat. de ſymptom. febr.*

CA-

Caput VI.

De Differentiis.

QVanqvam qvartana communiter ab autoribus in continuam & intermittentem distinguatur; de hâc tamen, ut ex præmissis patet, inpræsentiarum tantùm soliciti sumus, & quidem ratione *generis* quartana alia est exquisita, & legitima, quæ simplicem febris servat tenorem, alia spuria, quæ affectum hypochondriacum, vel scorbutum conjunctum habet, & hæc pluribus aliis symptomatibus stipata est; alia qvoqve est simplex, alia duplicata, vel triplicata, qvæ duæ ultimæ appellationes tamen non adeò conveniunt quartanæ, nisi ubi simplex præcesserit. Ratione *subjecti* alia magis ab affectâ totâ M. S. dependet, ut in epidemiâ & hæreditariâ fieri necesse est; alia ex ventriculo oritur, cui modo pancreas magis, modò magis hepar ferunt suppetias, quæ lienem & mesenterium quoque afficere posse non incongruum est. Ratione *causæ* alia â soli & aeris constitutione oritur, alia ab hæreditariâ dispositione, alia â victus ratione, alia â prægressis & concomitantibus morbis aliis. Ratione *temporis* 1. *durationis* alia est pertinax & rebellis, alia aliqvaliter mitis, sic tamen, ut chronicorum morborum limites non excedat, alia longiores amat paroxysmos, alia breviores. 2. *invasionis*, alia est fiens, recens; alia in facto, inveterata. 3. *anni*, alia autumnalis, alia hiemalis, alia etiam vernalis. Ratione *accidentium* alia essentialis est, alia symptomatica, per epigenesin & metaptosin facta.

Caput VII.

De signis diagnosticis.

INcognitum qui profligare tentat morbum, Antabatarum more clausis pugnat oculis. Cognitio intimior per causas ex signis diagnosticis eruitur, hæc igitur juxta methodum jam tractanda veniunt. *Imminentis* verò quartanæ *signa* sunt, si vel non nullæ vel plurimæ hactenus enumeratæ causæ præcesserunt, sic ut

 eum

cum errore diætæ, nebulosi aëris constitutio, habitus corporis frigidior & similia sint conjuncta. *Adventantis* jam & *præsentis* desumuntur 1. ab *essentialiter inhærentibus* & quidem. *1. horore & frigore prævio*, quæ hic majora quàm in ullâ aliâ febre & satis molesta, non secus ac in frigore intensissimo versantibus contingit, cum concussione totius corporis, stridore dentium, oscitatione & pandiculatione.

2. Calore totius p. n. communi febrium symptomate, qui hic respectivè non adeo urgens est, sed mitior quàm in tertianâ & fortior quàm in quotidianâ.

3. Motus tempore, ubi singulo quarto die inclusivè infestat malum quod hujus febris est signum pathognomonicum. Adde quod semper pomeridianis horis accidat paroxysmus, & decimam matutinam nunquam anticipet, de causa verò hujus temporis motus certant Autores, & ad huc sub judice lis est. Nos cum *Excellent. atque Experient. D. D. Wedelio*, statuimus, quod quaternis diebus moveatur, in causâ esse. 1. materiæ peccantis copiam, quæ hic respectu aliarum intermittentium, minor est, quod patet ex remissiori calore in paroxysmo, & robore ægrotantium non penitus dejecto, hæc igitur tardiùs discussionem sui urget, & non adeò in vasis turgens minùs ad excernendum solicitat naturam; non secus ac in defluxionibus catarrhalibus non semper, sed tunc demum cietur fluxus, cum tantum excrementi est collectum, quantum natura amplius tolerare nequit, vid. MSS. *Colleg. Excell. atque Experientiss. Dn. D. Wedelii, de febribus.* 2. materiæ peccantis dispositionem peculiarem, & ad naturalem motum ineptitudinem, quæ ab ejusdem crassitie & visciditate siccâ seu ♀ro in coagulum abeunte, & frigidâ naturâ seu acidâ cruditate maximam partem dependet, & in aliis intermittentibus non occurrit. 3. Ipsius naturæ asvescentis alteram naturam; quæ dum aliquoties, invita licet, talem insultum sustinuit, tandem quasi assueta, statis temporibus, quicquid molestum est, excutit. Sicuti videmus illos qui cucurbitulis vel V.S. asveti sunt, si id intermittant, horum indicia sentire, & flagellatores papicolas, circa esuriales ferias paschales, ingentes dorsi pruritus sentire, si consuetam non servent methodum, me sæpius audivisse memini. Pomeridiano

verò

verò tempore tantùm infeſtat quartana, quia hæc febris magis ſeroſa eſt, ſeroſos autẽ morbos noctu acerbari notum eſt, & quia potiſſimùm hybernis & autumnalibꝰ diebus urget, ubi magis frigus nebuloſum occupat aërem, quod poros obſtipat, nativum obruit calorem, ipſumque ultrò invitat paroxysmum. Veteres ἰδιοτρόπειαν humorum pro genuinâ hujus diverſi temporis motus in intermittentibus causâ habent & melancholiam ordinariè quarto moveri die ſtatuunt. *Williſius de febribus pag. 99.* pro causâ longioris intervalli in paroxyſmis habet aciditatẽ ſanguinis, ad acredinem & caliditatem minùs inclinantem, quæ ſuccum alibilem (quem ille hic ſalvum putat,) ſine luctâ & tumultu, utpote, non multum ab eo diſtantem, perverteret, quare ejus non nihil aſſimilaretur ſenſim, ut ejus congeſtio inde ad plenitudinem fieret tardiùs, & ita natura ſeriùs ad ejectionem à materiâ peccante incitaretur.

4. *Ex paroxyſmi duratione*, quæ ob materiæ peccantis genium, plusquam in omnibus aliis febribus urget, & ordinariè ante duodecim horarum elapſum ſpatium non terminatur, quandoque etiam per viginti horas durat.

II. *Ex eſſentialiter conſequentibus*, quartana varia ſtipant ſymptomata in facultate vitali, animali & naturali.

1. In *facultate naturali*, ubi appetitus quidem ſæpiùs ad tempus durat, imò in principio quandoque, ob fermentum ventriculi acidius urget, in progreſſu tamen ob humorum acumulatorum copiam ἀνορεξία ſequitur. Sitis minus quàm in tertianâ urget, magis quàm in quotidianâ.

2. In *facultate vitali*, ubi pulſus ſemper ferè eſt debilior, quàm in ullâ febre, ob chyli & ſangvinis impeditam ~uaſcentiam, de quô vid. *Galenus libr. 2. de criſi cap. 3.* & licet in paroxyſmo velox fiat & frequens, nihilominus & tunc propriam ſervat tarditatem reſpectivam, & non accedit ad velocitatem reliquarum intermittentium pulſus. *Crato Conſil. 257.* palpitationem cordis conjunctam vidit, quam à flatibus deducit.

3. In *facultatis animalis actionibus* adeſt δυσαρέσκεια, & laſſitudo ſpontanea, in recenti morbo paroxyſmi admodum infeſti ægros lecto affigunt, & totius depopulantur robur. Poſteà verò leviori

leviori absolvuntur plagâ, ut accessiones ejusdem quasi ὀρθοστάδιοι perferant. Dolor insuper dorsi juxta ductum thoracicum quasi ostocopus est, qui cum rigore lumborum incipit potissimùm, & quandoque etiam hypochondriorum gravativus, ob copiam humorum vel tantùm flatuum restagnantem ibidem, & acrimonia membranas vasorum vellicantem.

In *excretis & retentis* occurrit ⊡na tenuis, pallida, clara, ▽osa, potissimùm in principio & extra paroxysmum, quia crassiores particulæ ⊖æ & ▽stres, quæ aliàs s. n. hîc excernendæ erant, ob coctionem imperfectam, M. S. unitæ reservantur, quandoque tamen robore naturæ, vel adhibitis diureticis in paroxysmo & post coctionem humorum, talismodi ▽estreitates propelluntur & crassior evadit, & magis turbida. Alvus utplurimùm mirâ pigritiâ vexat ægros, & loco fecum sæpissimè flatus egerit copiosos, qui cum ructibus & murmure ventris interpolantur, tàm antè, quàm in paroxysmo, tùm ob calorem nativum ventriculi debilem, tùm ob ⊕licam aciditatem ex pancreate & ventriculo promanantem, quæ naturalem figendo clysterem, intestinorum fibras plus justo coarctat. Sudoribus insuper, finito paroxysmo, ob seri copiam & calorem rarefacientem diffluunt ægri, qui interdum fœtent, ac indusia tingunt. Πτυαλισμὸς quoque frequens hic occurrit, non minùs ab humiditate superfluâ in ventriculo latitante ≏atâ, & in fauces elevatâ, quàm etiam à ductibus Stenonianis, variarum glandularum parotidum, maxillarum & sublingualium oriunda, & in os propulsa. In *qualitatibus mutatis*, cutis fit anserina, aures labia & nares pallent, ζωτικὸν faciei ἄνθος in lividum, plumbeum & subatrum colorem versum est, pori constringuntur, ungues livescunt, totum corpus non raró subtumidum apparet, ob restagnantes humores serosos, quandoque etiam tabescit; diuturniori quandoque frigori expositi rubent, quia ⊖ia à frigore partibus magis infiguntur.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Signis prognosticis.

PRognoseos exercitium sicuti non nascitur in cerebellis illorum, qui ultra vulgus non sapiunt, ita ejus accurata cognitio maximum famæ Medicæ spondet incrementum. Cujus cum & nos studiosi simus, prognosin nunc aggredi haud gravabimur Quoad *salutis & mortis* igitur prædictionem, quæ ab *essentialiter inhærentibus* desumitur, notandum, quod magis metuenda sit diuturnitas quàm periculum, ratione enim *generis* hæc febris intermittens est, quas quocunque intermiserint modô, periculi expertes prædicat *Hippocrates sect. 7. aphoris. 62.* Idem *l. 1. de morbis vulg. comm. 3. text. 4. & libr. 6. epidem. tex. 7.* pro securissimo affectu qvartanam habet; dum hâc laborantes magno quodam morbo non corripi statuit. Notandum tamen magnos morbos *Hippocrati* hîc idem significare, quàm acutos, quos ob sulphur sanguinis oppressum, & exaltatas acidas ⊖inas fixas, in fluorem actas, & extra M. sanguineam hærentes, hic non metuendos esse, est quàm notissimum, & hinc natum est proverbium illud, noli timere quartanam, quia non facit sonare campanam. Nihilominùs hâc etiam quosdam interiisse testantur autores, potissimum ætate provectiores, & ubi remedia vel neglecta fuere, vel non ritè applicata. Sic *Wierus libr. observ. pag. 38.* agricolam, postquam triginta tribus annis quartana laborasset eâdem interiisse meminit; *Idem eâdem pag.* de Nobili septimo anno, & parocho octavo quartanâ mortuum habet. Sin verò symptomatica evaserit, ut acuti præcedant morbi, & quartana superveniat, tunc hæc illos solvit. Propterea si superveniat convulsioni, ab eâdem liberantur ægri, juxta *Sect. 5. aphoris. 70.* quatenus particulas acidas membranosum genus vellicantes aliorsum secum rapit.

Minùs periculosa est quartana ratione *essentiæ suæ*, quia in hâc paroxysmi mitiori incalescentiâ defervent, quàm in tertianâ, ob humorem peccantem magis ⊖inum quàm 🜍reum, insuper ægri mediocriter robusti sunt, ipsisque duorum dierum spatium pro recollectione virium concessum est, hinc, si in duplicem vel triplicem mutatur, pejor est quartana.

Ratio-

Ratione ſubjecti cum focus mali extra M. Seam hæreat, tantæ molis res non eſſe videtur. Sin verò obſtructio qvædam contumax certi cujusdam viſceris vel plurium & horum officium depravatum malum foveat, ut meſenterii, hepatis, lienis, pancreatis, tunc plerumque illorum ſequitur genium, ut quò magis illa à ſtatu naturali recedunt, eò vehementîor quoque morbus ſit, & contrà.

Ratione ſymptomatum poſt eſſentialium vehementior eſſe ſolet quartana, quæ cum dolore & duritie hypochondriorum, potiſſimùm ſiniſtri, purpurâ, maculis ſcorbuticis, ulceribus & crebrioribus conjuncta eſt flatibus, & contrà. Hi quippe dolores materiam acetoſam 🜿ream lieni vel hepati tunc firmius impactam denotant. Similiter quæ cum hæmorrhagiâ narium conjuncta, juxta *aphoriſ.3.ſect. 8.* pejor, quatenus fortius obſtructa notat viſcera. Sic cum hâc & ſingultu lethalem quartanam vidit *Hartmannus de febribus pag. 888.*

Ratione cauſarum gravius decumbunt, qui ob hæreditariam diſpôſitionem, res præternaturales prægreſſas vel concomitantes, ut ſcorbutum, affectum hypochondriacum, duritiem vel ſchirrum hypochondrii &c. quartana afficiuntur: periculoſior quoque eſt, ſi â ſcabie retropulsâ recidivet, plus enim vice ſimplici unum ſubjectum quartanâ affici experientia teſtatur, licet contrarium ſtatuant *Hippocrates, Aetius lib. 5. cap. 8. & Verulamius.* Contrà minus ſubeſt periculum, ſi ob errorem diætæ, anni tempus, & cœli conſtitutionem quis hoc malum incurrat.

Longitudinem & brevitatem quod concernit, notandum, quod cancellis arctioribus complecti renuat, ut optimo jure chronici morbi veniat nomine, raró enim vel nunquam ante tertium menſem terminari deprehenditur. Nihilominus ſicuti ſeriùs medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras; ita ſi principiis obviam imus, ubi materia peccans adhuc minus viſcida eſt, medicusque ſimul & æger, & externa ſe exhibeant prompta, non raró citius debellari poſſe malum non eſt improbabile. Contrà ad ſextum menſem ſi perventum fuerit, ubi jam ipſi Mæ Sneæ labem affricavit, raró ante annum terminatur. Qvæ tamen Junio proximior, cum ceraſa matureſcunt, illa citius deſinit. Quandoque etiam neglecta usque ad duodecimum extenditur annum, quem rarius excedit, & tunc utplurimùm affectum hypochondriacum aut ſcorbutum poſt ſe relinquit;

Alii

Alii quartanam quadraginta octo annos durasse notant. Causam durationis, & cur tàm difficulter sanetur, communiter statuunt Autores atrabilariam sanguinis esse constitutionem, quæ nullis ferè cedat remediis. Nos pro genuinâ diuturnitatis causâ habemus fluorem & dominium ⊖linarum acidarum particularum in 🜍reas °°sas, & alkalinas ⁓uosas depressas, quæ, uti ab initio in infimo ventre magis hærent; ita successu temporis toti M.Seæ non possunt non communicari, similemque diathesin eidem inducere; quæ postmodum tota πνευματώσει destituta tàm difficulter volatilisari potest, non secus ac etiamnum hodie in aceto vini restitutio partium ⁓uosarum & 🜍rearum non facilis, nec nisi singulari artificio possibilis est, quod ⁓us ♄ni ardens demonstrat; neque enim immutatio miranda particularum negari potest, tùm in liquidis tùm in humidis, per ἐγχείρησιν chimicam exemplo esse potest ♁ium diaphoreticum, ex quô per △em fusorium ♔us iterum comparatur, quem totum jam anteà exhalasse quis putare posset. Vid. *Excellentiss. Wedel. tract. de facultatibus medicament. pag. 137.* accedit ad hæc ipse materiæ peccantis genius, qui potestate fermentativâ, & multiplicativâ admodum pollet, ipsaque medicamenta potiùs in suam naturam fermentare aptus natus est, qvàm ut ipsis obsecundet, non tamen eundem servat tenorem.

Sic *ratione temporis anni* juxta *Hippocrat. Sect. 2. Aphoris. 25.* æstivæ plerumque breves, autumnales verò longæ sunt ob transspirationem prohibitam, & maximè quæ ad hyemem pertingunt. Quando verò solstitium vel æquinoctium imminet, ut post Luciæ diem, vel festum Gregorii, plerumque spontè solvuntur, magis tamen solstitio æstivô. *Luis Æneas Caprilius de febribus putrid. in spec. lib. 2. pag. 210.* plures quartanas curatas observavit unius mensis spatio, omnes verò ferè circa solstitium hyemale. Ab errore quoque diætæ ortas brevissimas esse asserunt, alii, & post sextum paroxysmum terminasse notârunt.

Ratione *symptomatum* citiùs quoque quartanis defungi illos, quibus ab initio morbi appetitus est dejectus asserit *Schenckius observ. med. lib. 6. observ. 44. pag. 498.* contrà, quibus ab initio morbi idem salvus manet, diutius iisdem laborare. Ratione *ætatis* infantes & juvenes citius liberantur, ob ⁓us copiosos, & dulces sanguinis balsamicas partes, quæ obstructionibus minus obnoxiæ sunt, ab acidisque

minùs ſubjugari poſſunt. Viri reſpectu priorum, quia jam acrioribus gaudent ~bus, & ſanguine, graviùs decumbunt, & tardiùs liberantur. Senes omnium difficillimè liberantur, ob naturæ robur depauperatum, ~us & ſangvinem aceſcentes, lympham ſtagnantem, & poros viſcerum ſubſidentes. Quocirca in his non rarò *συναποθνήσκει*, nihilominus *Wierus libro obſervationum pag. 40.* ſexagenarios hâc curatos notat, quod potiſſimùm in illis ſuccedit, qui in ſenio adhuc vegetiores ſunt.

Ratione *excretorum*, brevior eſt, quæ ⊡am craſſam conjunctam habet quàm tenuem. Quia illa humorum coctionem denotat, & peccantem materiam eliminat.

Ratione *qualitatum mutatarum*, ſi frigori expoſiti intenſo rubeant, ob copioſas particulas ⊖ſas tunc partibus magis infixas, periculoſiùs laborant.

Modus eventus denique fit vel ad ſalutem, tùm perfectè, ubi natura vel ſponte vel pharmacis adjuta, morbificam materiam, criticum in morem, è corpore eliminat, modò per vomitus, modò per ſudores, urinas nigricantes, menſtrua & hæmorrhoides, licet hæc non educant ſanguinem melancholicum ex liene, juxta veteres, interdum etiam per abſceſſus & puſtulas lividas in cruribus; per dyſenteriam, ſed rariùs, quæ lienoſis proficua eſt, juxtà *aphoriſ. 48. ſect. 6.* qualem ex hieræ picræ uſu cum fructu notavit *Schenckius libr. 6. obſ. 42.* rarò tamen diſcedit, ut non inurat maculam corpori, vel ſui relinquat memoriam, tùm imperfectè, ubi in alium morbum mitiorem per metaptoſin terminatur, ſic à ſcabie ſuperveniente ſolvitur febris quandoq;, quia tunc materia peccans ad exteriora fertur, quandoque hâc finitâ, in junioribus increſcunt corpora in magnam molem & interdum non eâdem proportione & tenore; ſed improportionatè, debilia, & quandoque ridicula evadunt, quale *Julius Cæſar Scaliger pag. 46. Wiero* dicitur *Mediolani* vidiſſe in juvene, qui ob proceritatem ſtare non potuit, ſed in duobus lectis ſimul junctis cubare coactus fuit.

Similiter *Wierus in obſ. pag. 41.* virginem ex quartanâ gygante am factam notavit, quam hiſtoriam etiam *Schenckius lib. 6. obſ. 41.* recenſet, ratio videtur eſſe, quia partes durante febre natu-

rali

rali nutritio ſucco privatæ erant, quò reſtitutô ſitibundæ illum abſorbent, ut hactenus perpeſſum reſtaurent damnum.

Ad mortem comitatur ægros, ſi cum gravioribus viſcerum obſtructionibus extet, vel in alium graviorem mutatur morbum, ſic in hypochondriacum affectum, & ſcorbutum interdum abit, quorum tamen progenies quandoque etiam eſt, vid. *commentar. Deckeri ad praxin Barbetianam pag. 144.* & in hydropem abiiſſe *Ebnſina canonis lib. 4. ſect. 1. tract. cap. 62.* meminit.

CAPUT IX.

Methodus medendi, ex fonte Chirurgico.

THeoriam nunc ſequitur praxis, quæ *methodo therapeuticâ* & præſidiorum materiis abſolvitur. *Methodus therapeuticâ* nititur indicatione *curatoriâ, præſervatoriâ & vitali.*

Indicatio curatoria ipſum morbum & ejus cauſam immediatam eliminat, naturam benè agentem in opere ſuo adjuvat, & quid ejus ſit officii monet, humoreſque peccantes ad naturalem reducit ſtatum.

Præſervatoria remotiores cauſas reſpicit & ne in actum deducantur, vel profligatæ reddantur ſibi, novaſque vires ſumant, omnem movet lapidem.

Vitalis, non tantùm ſubjecti cauſæ, ſed & totius vires & tonum reſpicit illaſque tùm præſentes, per alimenta laudabilis ſucci conſervat integras, tùm oppreſſos & depauperatos per medicamenta convenientia reſtaurat efficaciter.

Symptomatibus urgentibus quoque auxiliatrices affert manus, ne ab his irruentibus natura nimis debilitata ſuccumbat ex improviſo. *Præſidiorum materiæ* ex famoſis fontibus, *chirurgico, pharmaceutico & diætetico* ſumuntur.

Ex fonte *chirurgico*, primum ſe offert V.S. quæ, an conveniat in noſtro affectu, magni momẽti quæſtio eſt. Licet enim generoſum

fit remedium & duro nodo durus cuneus quærendus; tamen non tàm illud adducemus, quod nonnullis visum est molliter in principio quartanam esse tractandam, &, si potissimùm in principio, fortioribus eidem obviam eamus, deteriorem eandem fieri, & ordinariam omnem pòst respuere curam, neq; enim blandiri decet morbo sed quanto citiùs eum averruncare; quàm quod indicantia tanti sint momenti ut illam fieri imperent. Cum enim non in ipsis sanguinis undis malum hæreat, sed tantùm per vices in illas mittatur; hinc facilè patet ejusdem usum hîc minus esse commodum Vid. *Disp. de V.S. Excell. atque Experientiss. Dn. D. Wedelii cap. 3.* Insuper ab eâdem metuendum, ne balsamum vitæ jam anteà ab acido suppressum magis depauperetur. Sicuti in omnibus intermittentibus superfluum ferè opus est ejus usus; ita maximè in quartanâ, ob sanguinis -o-uascentiam imminutam, facilè duplicare, vel triplicare potest febrem; quatenus ♁reo-alcalinæ particulæ magis imminutæ, minus acidis dominium expetentibus resistere possunt. Unde ab hujus adhibitione intempestivâ plus vice simplici cachexiam & ipsam hydropem autores annotârunt, vid. *Colleg. Privat. Excellent. atque Experientiss. Dn. D. Wedelii,* ex quo, tanquam Præceptoris mei venerandi assertis, plurimùm me hausisse lubens fateor, idem *Riverius Cent. 3. obs. 70. pag. 625.* Citra plethoræ igitur præsentiam, vel urgentia quædam alia symptomata συνεδρεύοντα, non facilè aperiantur vasa. Quod verò decantatam salvatellæ sectionem attinet, quam *Riolanus in Enchiridio Anatomico*, item *Galenus de curandi ratione ad Glauconem cap. 11.* & *Spigelius libro 5. de humani corporis fabrica cap. 7.* & *alii* magnifaciunt & experientiam allegant, id cum grano salis est intelligendum. In totum tamen eam non rejicimus, sed in diuturniori malo, postquam sangvinis massa jam toties incanduit, potiùs suademus ut instituatur V.S. præcipuè si suppressa fuerit aliqua consueta sangvinis evacuatio, mensium v.g. vel hæmorrhoidum; & si forsan, sub causarum agmine contenta, huic malo ansam dederit. Ibi enim serosi humores plerumque copiosè stagnant in toto corpore, qui cum modicâ sangvinis quantitate aptissimè evacuari possunt; *Tempus* administrationis igitur ordinarium non sit statim ab initio morbi, sed ad minimum post trium vel quatuor mensium

elapsum

elapsum, ubi corpus anteà benè purgatum, & humores peccantes maximam partem evacuati fuerint; aliàs enim quicquid in infimo ventre stagnat vitii, facilè intra vasa absorbetur, & malum potiùs augetur. Ubi verò statim unà cum suppressione consuetarum sangvinis evacuationum ingruit malum, ibi etiam extraordinariè accelerari potest ejus usus, & statim, postquàm primæ viæ leniter abstersæ sunt, institui. Ratione paroxysmi sit dies intermissionis, afflicto enim non est addenda afflictio, quæ aliàs magis debilitaret ægrum. *Locum* quod concernit, facilè fuerit ex dictis circumstantiis id æstimare prout vel evacuatio simplex, vel revulsoria aliaque simul indicatur, in genere verò salvatellæ primatum deferre non possumus si veterum sensu sympathiam peculiarem cum corde ipsi quis arroget, quæ cum hodiè ab omnibus cordatioribus rejiciatur, meritò alii judicamen inde arcessunt, quod in extimis partibus manibus & pedibus sangvis magis lutosus restagnet, unde & in pedibus salubriter administratam decantant. Alii salvatellæ sectionem plus levaminis afferre putant, quàm aliarum venarum, quia ex illâ, ob arteriarum viciniam & synanastomosin sangvis magis -uosus eliceretur, ut etiam *Antonius* **van der Linden** observaverit ex eâdem cum saltu prorupisse. Sufficiat nobis consultius aperiri *minora vasa*, cum evacuatio debeat esse parcior; Sin ab obstructione mensium, vel hæmorrhoidum ortum sit malum, vel cum his conjunctum, *saphenæ* sectio erit convenientissima, quia horum aperit obstructiones. Aliàs, ubi finis est universalis evacuatio, non adeò curiosè attendendus est minorum venarum selectus. *Quantitas*, cùm è minoribus vasis certò mensurari nequeat, sit parcior, quàm in aliis horum apertionibus. Illo enim generali præcepto, in minorum venarum apertione, ubi tàm diu fluere sinunt sangvinem, donec spontè desinat, vix assentiri possumus. Consuli etiam in hôc potest emissi sangvinis color, qui, quò magis ad nigredinem vergit, eò minor educatur quantitas, & contrà.

Vicariæ aliàs venæsectionis *cucurbitulæ* vel parùm proficuæ, vel minùs usitatæ hîc videntur. *Hæmorrhoidum* clausarum apertio pari passu cum V.Sne in usu ambulat, adde naturam per illa loca non raro crassiores particulas, & acidas, licet in fieri tales, evacuare. Modus

 apertionis

apertionis per hirudines cum syringe admissas est tutissimus. Cœcas verò, quæ nunquam fluxerunt, aperiendas non suademus. *Frictiones* dorsi, potissimùm cum linteaminibus calidis non sunt de nihilo, hæ enim aperiunt poros, & exhalationi humorum peccantium vias parant, ♃reasque excitando particulas sui easdem commonefaciunt officii. *Vesicatoria & Fonticuli* in usum quoque trahi possunt, si forsan à restagnatione humorum, in diuturniori malo totum corpus intumuerit, & ad hydropem inclinare visum sit, sunt enim seriduca maximè generosa, fontem tamen mali non attingunt.

Caput X.
De fonte pharmacevtico.

IN hoc uti certiora, pro debellando nostro affectu, sese suggerunt auxilia; ita prima cura sit, ut materia morbifica, in primis viis hærens, sensim evacuetur, quæ cum stagnationi assueta, minùs mobilis sit, fortiorum purgantium ab initiô adhibitorum, indubiè ludit operam, malè enim illi consulunt ægris, qui, quo pingvior est alvus, eò generosiora propinant purgantia. Præmittenda sunt *Lenientia*, hæc quippe viscedinem humorum & mucum blandè abstergendo, divertent ad inferiora; observatumque indè est, non expeditis primis viis, infarctus vasorum & glandularum intestinalium fuisse adauctos, eoque promtiùs conspurcari distribuendum in illum, culinâ chylosum succum, quæ in formâ humidâ hic erunt convenientissima, & sequentia esse possunt:

℞. *Rad. 5. aperient. major.* ā. ℥ß. *rhabarb. Alexandr.* ʒij. *herbæ betonicæ, scordii* ā mj. *fol. senæ s. st.* ℥ß. *flor. borrag. bugloß.* ā pj. *summitatum fumar.* mß. *costi veri* ℈ij. *cremoris* ♀*ri* ʒß, *mannæ foliatæ* ʒij. Concis. contus. infunde in seri lactis caprini ℔ij. l.q.s. pro una dosi sumantur ℥iij

℞. *Decocti florum & fructuum* ℥iij. *essent. fumar. compos.* ℈ij. *Ræ florum qvatuor cordial.* | ♂*tis pomatæ* ā ʒß. *extracti Rhabarb.* ℈j. *sirupi rosar. de polypod.* ā ℥ß. M. F. Haustus S. Laxir-Tranck auff 1. mahl.

℞. *Rad. belenii, cichorii* ā ʒiij. *mechoacannæ alb.* ʒj. *herba*

bæ hepat. nobil. cuscutæ ā mj. *flor. rosarum, summitat. absinth.* ā pj. *agarici trochiscati* ʒj. *cortic. aurant.* ʒß. *passul. minor.* ʒvj. *spic. Indic.* ℈j. Misce concis. contus. g. m. coque in s. q. ▽æ *s. Colaturæ* ℞. ℥iij. *adde sirupi de cichorio cum Rhabarb.* ℥j. S. Lindtranck auff 1. mahl.

Præparantia, chimicis communiter *digestiva* dicta, hîc maximè inveniunt locum, quàm rebellis enim sit materia febrilis, in hâc nostrâ qvartanâ, abundè loquitur experientia. Hæc scil. διαχώρησιν humorum crudorum respiciunt, & tàm necessariam in his affectibus coctionem earundem procurant, in quâ curationis maximum pondus situm esse unanimiter affirmant medici. Nos exempli loco sequentia commendamus.

℞. *decocti aperitiv.* ℥iiij. *-us aperitiv. Penoti* ℈ij. Ræ ♃ii ♀*satæ* ℈j. *sirup. conservat. Zingib.* ℥ß. *M. F.* haustus S. Digestiv-Tranck.

℞. Ræ ♂is *pomat.* ʒiij. *arcan.* ♀*ri* ℈ij. *M. D. in vitro* S. Digestiv Mixtur 35. Tropffen auff 1. mahl.

℞. *Rad. 5. aperientium minorum* ā ʒß. *polypod.* ʒß. *rhabarb.* ʒij. *herb. cuscut. asplenii, capill.* ♀*ris* ā mß. *flor. rosar. violar. centaur. minor.* ā pj. *corticum capparum* ʒiß. *limat.* ♂*is magnesiatæ* ℥ß. ⊖*is absinth. centaur. minor* ā ʒß. M. concis. contus. g. m. d. in syndone S. Species zum Wein.

℞. Ræ ♀*ri* ʒij. *essent.* ♂*is liqvidæ* ℈ij. M. D. *in vitro S. Digestiv* Essentz 25. gutt. auff 1mahl.

℞. *Croci* ♂*is aperitivi cum* ⊖*ibus* gr. xv. *crem.* ♀*ri.* gr. iij. *magist. corallor.* ℈ß. M. D. *in charta*, S. Digestiv. auff 1. mahl.

His ritè præmissis, humoribusque peccantibus ad exitum sufficienter dispositis, subdenda sunt.

Purgantia, quæ hîc non nimis activa esse debent, nec priùs adhibenda sunt, quàm cum pituita jam est educta, & semper cum confortantibus aromaticis, quæ, quod fixum est, exaltant & volatilisant, miscenda, aliàs ventriculi tonus, cujus ratio hic maximè est habenda, magis dejicitur, aërosis chyli imminuitur, vires attenuantur morbusque prolongatur.

℞. *Julepi violarum* ℥iij. *electuar. lenitiv.* ʒj. *extracti helebori nigri*

nigri, panchymagog. Crolli ā. *gr. xv, ſpecier. aromaticar. roſat.* ℈j *ſirup. de pomis* ʒß. *M. F. l. a.* hauſtus purgans.

℞. *Rhabar. Alexand.* ʒiij. *fibrar. hellebor. nigr.* ʒij. *fol. ſennæ ſ. ſt.* ʒß. *Summitat. fumar. abſinth. gratiol.* ā. *mß. ſem. 4. calid. major.* ā. ℈j. *Cryſtallor.* ♀ri ℈iv. *M.* Conciſ. contuſ. g. m. D. ad chartam, S. Species zum purgirenden Kräuter Bier.

℞. *Pulv. laxativ. vegetab. Rolf. diaſenæ Montagnan.* ā. ℈j. *magiſt. ſcammon. galapp.* ā. *gr. iv.* ♀ri ⊕lat. ℈ß. ☍. *aniſ. gtt. ij. M. F.* Pulvis D. in chartâ, auff 2. mahl.

Hûc pertinet febrifugum *Riverii*, quod deſcribitur *Centuria 3. obſerv. pag. 634.* item pulvis purgans *Paracelſi.*

℞. M℞. ♀rear. *Quercet. gr. xv. extracti* ♂*ꝭ purgantis, hellebor. nigr. gr. iv. trochiſc. alhandal gr. iij. elixir. prop. parum M. F. l. a.* pilulæ. S. Purgier Pillen auff 2. mahl.

℞. *Conſervæ borrag. pulpæ paſſular.* ā. ʒij. *rhabar. pulveriſat.* ℈j. *magiſter. ſcammonii gr. v. ſirup. roſar. ſolutiv. q. ſ.* ☍ *macis gtt. ij. M. F. l. a.* bolus purgans.

℞. *Rad. glycyrrhizæ, polypod.* ā. ʒij. *fibrar. helleb. nigr.* ʒiij. *myrobalan. omn.* ā. ʒij. *Sem. aniſ. fœnicul.* ā. ℈j. coque c. ſ. q. ▽. ſimpl. ad ʒias, adde *ſirupi ſceletyrbici* Foreſt. *fol. ſenn.* ā. ℥ß. S. Purgier Tranck auff etlichemahl.

Cum verò humores ex errore diætæ, in ventriculo collecti, ob viſciditatem ſuam ponticam, ſtomachi plicis non raro tàm firmiter inhæreant, ut omnem purgantium ludant operam; ideò non raro unicè recurrendum eſt ad

Vomitoria, quæ quaſi vectibus expellunt malum, & ipſam radicem extirpant quæ tamen interdum etiam ſtatim poſt alterantia & præparantia propinata, ubi morbus nondum radices egit, opem ferunt. Non verò promiſcuè in conſvetis, ſed magis ἐμέτοις propinanda ſunt, nec ſemper his ſolis inſiſtendum, ſed cum aliis interpolanda ſunt, & maximè ante paroxyſmum danda.

℞. ♀ri *emetici gr. iij. elæoſacchari cinamomi gr. iv. M. F. Pulvis* auff einmahl.

℞. ☿ii *vitæ gr. ij. rad. aſar. ppt.* ℈j. *l. gr. xv.* ☍ *macis gtt. j.* M. S. ut ſuprà.

℞.

℞. *magister. g. g. gr. v.* ⊖ *is* ⊕ *li* ℈ß. ♈. *anis. gtt, S. ut suprà.*

℞. *vitri* ♁ *ij, vel croci metallor. puri* ℈ß. *vel gr. V. infunde per* ℘ *in vini generosi* ℥ *ij. colaturæ adde* ▽. *cinamom.* ʒ *ij. M.* Fiat haustus. Infusa quippe ♁iata multi hîc magni faciunt.

℞. *fol. asari n. viij. infunde in vini boni* ℥ *iij. colaturæ adde sirupi emetici* Salæ ℥ß. △ *is* ⊙ *ati* ♁ *ij gr. iij. M.F.* haustus.

Clysteres quoque non erunt de nihilo, potissimùm si dolores intestinorum & tormina ventris initiò paroxysmorum simul urgent. Hi enim intestina elutriant illorumque obstructiones reserant, nec uti purgantia debilem affligunt ventriculum. Hinc his solis se quartanam curasse gloriatur *Crato consil. med. 254. pag. 770.* notandum verò quod in his emollientia sint convenientissima, quibus carminativa optimè maritantur.

℞. *Rad. lil. albor. asparag. fœnicul.* ā. ℥ß. *herbar. 5. emollient. fumar.* ā. *mj. flor. chamom. Roman. lil. albor. summitat. centaur. minor.* ā. *mß. Sem. fœn. græci, carvi, anis.* ā. ℥ß. *agarici in petiâ legati* ℈ *ij.* coque in s. *q.* ▽. *s. colatur.*

℞. ℥ *x. adde* ♈ *rutæ, capparum* ā. ℥ß. *electuar. lenitiv. Burhi* ℥j. ⊖ *is* ♀ *ri* ʒj. *vitell. ovor. num. ij. M. F. l. a.* Clyster.

Cum ex suprà dictis notum sit quartanam esse serosam febrim, & non raró totum corpus subtumefacere, & ad ipsum hydropem disponere, ideò nulli dubitamus, quod *Diuretica* hâc laborantibus solatio sint futura. Hæc enim serosam colluviem sensibiliter evacuant, magnamque partem crassorum feculentorum humorum simul abducunt. Talia verò sunt sequentia.

℞. ⊖ *is absinth. cardui bened. cent. minor.* ā. ℈ß. *magister. corallor.* ℈ *j. elæosacch. succini gr. vj.* M. F. pulvis D. in chartâ, S. Harntreibendes Pulver auff 2. mahl.

℞. ℞*æ* ♀ *ri* ʒ *iij. essent. succini* ʒ *j.* M.S. Harntreibende Essentz / 25. Tropffen auff 1 mahl.

℞. ⌒ *us* ⊖ *is* ℈ *ij.* ℞*æ violarum* ʒ *ij.* M. S. ut suprà.

℞. ▽ *æ saxifrag. ononid. petrosel.* ā. ℥ *ij. clyssi* ♁ *ij* ʒj. *sirup. de fumar.* ℥j. M. F. Potio auff 2. mahl.

Cum per sudores non minùs ac ipsas □nas, multum materiæ ♀ reæ evacuari, ipsumque sanguinis circulum potenter restitui certum sit; Ideò *Sudorifera* hîc subnectere haud gravabimur.

 Notan-

Notandum verò de illis, ne sint nimis volatilia, & indesinenter ante evacuantia reliqua adhibita. Quia hôc modô serum, idque magis volatile, nimium absumitur, ⊖inæque particulæ magis partibus infiguntur. Sic memini ab *Excell. atque Experientiss. Dn. D. Wedelio* me audivisse, quod studiosus quidam, qui quartanâ laboraverat, sudoriferis nimiùm à medico excruciatus, in purpuram scorbuticam, multis annis post durantem, inciderit, ad habitum corporis nimis importunè detrusis & excandefactis humoribus serosis & ⊖inis. Quo circa nos eadem cum reliquis medicamentis interpolanda putamus, nec solis volatilibus insistemus, sed media & fixiora si non semper illis præferemus, tamen maritabimus.

℞. *Essent. fumar.* ℥iij. ⁓*us fuligin.* ℥j. M. S. ut supra.

℞. ▽*æ cardui bened. centaur. minor.* ān. ℥j. *Mixt. simpl.* ʒj. *sirup. de canella q. s. ad gratiam.* M. F. haustus.

℞. ♁ii. *diaphoret.* ⊖*is fumar. tamarisc. fraxin. conchar. præparat.* ā ℈j. *flor.* ⊖*is* ✱*ci* ♂*ial.* ℈ß. ☍*i caryophyll. gtt.* iij. M. F. Pulvis auff 4. mahl

℞. *rob. sambuc.* ʒj. *theriac. C. C. phil. prop.* ā ℈j. *extract. centaur. minor. absinth.* ā ℈ß. *sacchar. q. s.* M. F. l. a. Bolus.

℞. *bezoard.* ♂*is, eboris s.* △*e, arcan. duplicat. Mynf.* ā ℈ß. M. F. Pulvis auff 2. mahl.

Fontem pharmaceuticum claudunt *alterantia, specifica & confortantia*, quæ partim immediatè opposita sunt nostro affectui, partim visceribus laborantibus, & potissimùm ventriculo, mesenterio, lieni & pancreati suppetias ferunt, ipsorumque tonum laxatum restituunt, obstructaque vasa recludunt; exhibeantur verò ante paroxysmum, ter vel quater continuando stato ejusdem tempore, licet emaneat febris.

℞. *decocti contra quart. Qvercetani* ℥iiij. ⁓*us antiqvart. D. Michaelis* ʒß. *essent. fl. bellidis* ʒj. ℞*æ lap. lazuli* ℈ij. *extr. chamædr. calami aromat.* ā. ℈ß. *sirup. de fumar.* ℥j. M. F. l. a. Potio auff 2. mahl.

℞. *Rad. acetos. caryophyllat.* āa. ℥ß. *herb. thee* *miß. linguæ cervin.* mß. *flor. 4. cordial. hepat. nob.* ā. p. i. *granor. coffi* ʒij. *sandal. citrin. cortic. aurant. cappar.* ā. ʒj. M. concis. con-

tus.

tuf. g. m. coque in ▽æ *card. bened.* & *vini* ã. *q. f. in* MB. *colaturæ* adde *Spec. diatrion santalorum* q. f. S. Alterirtranck auff etzliche mahl.

Hûc etiam pertinet ▽a scorbutica *Sennert.* polychresta *Rolfinc.* decoctum oculor. ♋ clinopodii *Mathioli*, raparum, quod *Crato consil. pag. 769.* pro specifico habet, & hoc solum per multos dies etiam 15. exhibet ante paroxysmum in vino, modum parandi vide ibid. *pag. seqv.*

℞. *Rad. helenii imperat.* ã. ℥ij. *herbæ chamædrios, chamæpit. cardui bened.* ã. mj. *plantag. centaur. minor. summitat. fumar.* ã mß. *flor. 4. cordial.* ã. p. j. *cortic. citri* ℥j. *chinæ chinæ* ℥ij. *granor. piper.* ℈j. *cardamom.* ʒß. *limatur* ♂*is* ℥ß. *oculor.* ♋ ʒij. *Crystallorum* ♀ri ℈iv. concis. contus. g. m. D. in syndone S. Species zum Wein.

℞. *Elixir PP. albi Helmont.* ʒiij. ~*us* ⊖*is ammoniac.* ʒß. M. S. Fiber-Essentz 30. gtt. auff 1. mahl.

℞. *Essent.* ♂*is absinth.* ʒiij *Ræ corallor.* ʒj. M. D. in vitro S. ut suprà.

℞. *Elix. anthypochondriac.* ℥iiij. *essent. Myrrhæ balsam.* ʒj. M. S. 40. gtt. auff 1. mahl. D. cum vino.

℞. *Elixirii febrilis* ʒij. ~*us antiqvart.* ʒß. M. D. S. 25. gtt. auff 1. mahl.

℞. *Corticis Peruvian.* ʒj. ☉ *fulminant.* gr. VI. ℴ°ℴ. *caryophill.* gtt. ij. M. F. pulvis auff 2. mahl.

℞. *Pulv. antiqvart. Excell. Dn. D. Wedelii* ʒj. ⊖ *febrilis Mynf.* ℈ß. M. F. pulvis.

℞. *Trageæ stomachal. Qvercetan.* ʒß. *feculæ ari* ℈j. *croci* ♂*is saccharin.* gr. VIII. ℴ°ℴ *antifebril. Excell. Dn. D. Wedelii* gtt. IV. M. F. pulv. auff 2. mahl S. öffnend-Pulver.

℞. *Croci* ♂*is aperitiv* ℈ß. *magister. ocul.* ♋. *coralliorum* ã ℈j ⊕*li* ♂*is* gr. III. ℴ°ℴ *piperis* gtt. ij. M. S. ut suprà.

Huc etiam pertinet pulvis absorbens *Excell. Dn. D. Wedelii* qui instar omnium jam dictorum esse potest, & ℴ°ℴ omnia carminativa & stomachica, cum ♁ibus pulveribus mista, quæ quandoq; sine vomitoriis febrim tollunt, & hîc audacius, quam in aliis intermittentibus exhiberi possunt, cum ob materiæ peccantis genium, aciditatem puta, in continuam non facilè abeat quartana.

℞. *spe-*

℞. *specier aromat. rosat. Gabr.* ʒj. *diarrhod. Abbat.* ʒij. *rad. helen. condit. trochisc. de capparibus* ℈ij. *ebor. sine* △ *par. Croci* ♂*is aperitiv. cum* ⊖*ibus* ā ℈j. *margarit. ppt. corallor. rubror.* ā ʒß. *cinamom.* ʒj. *Sacch. Canariens.* ℔ß. *in s. q.* ▽*æ rosar. soluti* f. l. a. morsuli, S. Stårck-Morsellen.

℞. *Conserv. borragin. bugloß. melisß.* āa ℥j. *cortic. aurant. citri condit.* ā ℥ß. *Zinziber. in Ind. condit.* ʒiij. *spec. de gemmis frigid. aromat. rosatar.* āa ʒiß. *lætif. Galen.* ℥ß. *Confect. alkermes* ʒij. *sirup. borrag. bugloß.* āa. q. s. M. F. l. a. Electuarium S. Stårck-Zucker/ dosis sit quantitas nucis juglandis.

Topica tandem sicuti internis postponenda, ita nihilominus laborantibus partibus strenuè succurrunt. Licet enim quandoque nullum urgens symptoma horum usum reqvirere videatur, nunqvam tamen hæc negligenda esse rectissimè monet *Crato in consil. 256. pag. 770.* qui in arcanis habet, si accuratè observetur, quænam corporis pars in ipsâ invasione laboret, vel doleat, illaque ante evacuationem humorum diligenter foveatur; quomodo empiricum consummatum quartanarium curasse meminit. Quocirca ne vel in hoc nostris deesse videamur ægris, ideòque his quoque paululùm immorabimur. Præsupponimus verò semper interna præmittenda esse, ut si magis ventriculus sit affectus, ex præmissis propinentur priùs magis aromatica cum acidulis mista; sin hepar, vel lien, magis aperientia cum aromaticis & acidis misceantur, & postea sequentia ordinentur.

℞. *panis melliti* ℥iß. *pulv. menth. marrub. galang. zedoar.* ā. ℈j. *tacamahacæ, mastich. N. M. caryophyll.* ā ℈ij. M. subigantur cum 🜄 s. q. F. l. a. cataplasma, S. Magen-Umschlag.

Quò & pertinet emplastrum de crustâ panis, cerotum stomachale, emplastrum stomachale *Galeni, Cratonis* cum ℴ℗ menth. &c. spec. aromat. rosat. sacculi ex pane tosto, cum aromat: & vino, ℴ℗, stomachic. 🜄 solus &c.

Lieni insuper præ reliquis est prospiciendum, hujus enim affectio quartanæ curationem difficiliorem reddit, & plerumqve cum quartanâ est conjuncta, licet quandoque in ejus regione acutum non persentiscant dolorem ægri.

℞. *ungvent. splenet. Senn. dialtheæ* ā. ℥ß. ℴ℗ *cappar.* ℥ß. *laterin.* ʒß.

suc-

succi rutæ ℥ß. *galban. aceto scyllitic. solut. inspissati* ʒj. M. F. unguentum S. Miltz-Sälblein.

Aliud etiam habet *Crato consil. 249. pag. 77.* Emplastra quoque non erunt de nihilo, tanti enim à nonnullis æstimantur, ut his qvoqve solis quartanam curari posse asserant, vid. *Helmontius.*

℞. *Ceroti de ammoniaco Forest.* ℥j. 🝆 *capparum* q. s. ♀ *rectificati Mynf.* ā ℈ß. M. Extendatur super alutam in formâ semilunari. S. Miltz-Pflaster.

Quò & pertinet emplastrum ex tabaco *Hoffmanni in thesauro pharmaceutico pag. 66.* & de cicutâ, *pag. antecedente*, item emplastrum magneticum *Salæ*, bdellium, styrax, calamita, ladanum, asa dulcis, olibanum, & ex his composita.

Tacemus alia hepatica, aliundè ex suis fontibus mutuanda, quale etiam sequens esse potest.

℞. *emplastri santalin.* ℥j. 🝆 *cappar. chamæmel. Rom.* ā. q. s. 🝆 *lign. sanct.* ℈ß. M. F. l. a. emplastrum, extendatur in alutâ cum syndone rubrâ, formâ rotundâ, conspergatur *pulv. santal. rubr.* S. Leber-Pflaster.

℞. ▽æ *taraxaconis vermicularis* āa ℥iij. *aceti rosati* ℥j. *spec. pro epith. hepat. diarrhod. abb.* ā. ʒij. M. applicentur calidè.

Hæc etiam spinæ dorsi applicari possunt, si rigor urgeat; ibi enim fomenta & inunctiones probatæ sunt.

Si sudores nimis molesti urgent, & debilitant vires, commendant nonnulli 🝆um olivarum & nymph. cum lacte mulieris, quæ filium peperit ā. ℥j. quod ultimum tamen ut superstitiosum rejicimus. Pulsibus & articulis applicari potest rad. urticæ contusa & aceto macerata, ut & sequens.

℞. *theriacæ* ℈ij. *vermium dipsaci, tel. aranear.* ā. ℈j. concis. contus. subigantur cum aceti *parum* M. F. l. a. Cataplasma.

Huc etiam pertinet salivatio ☿ialis, quâ per duodecim dies institutâ, *Willisius de febribus pag. 102.* virginem Illustrem se curasse gloriatur; quæ ideò officium facere videtur, quia serum viscidum liquat & evacuat.

Non immorabimur hôc locô in specificorum variorum recensione, qvæ quidem promissis non æque respondent semper, sæpè tamen

 co-

comite ratione providè adhibita laudem merentur quædam, quædam insufficientia, imò superstitiosa sunt; talem titulum quoque meretur cor leporis, infusum rapontici cum 🜈i & pauco 🝆 olivarum. Febrifugum *Strobelbergeri* ex Asaro, *Fabri* ex 🝆 Rosmarini, *Rondeletii* ex salviâ &c. item 🝆 🜔li ad gtt. iij. vel VII. cum sirupi è cichorio ℥j. & 🜄æ absinth. vel marrub. ℥ß. haustum; emplastrum *Strobelberg.* ex terebinth. & araneis vivis, telis aranearum & gum.)(co. ad pulsus, & quæ sunt alia. Quæ si qvod res est dicendum, si non infida, certè tamen plurima insufficientia sunt.

Reliqua, ut cor leporis in tres æquales partes divisum, & tribus vicibus assumtum, vel exsiccatum & appensum, item telæ aranearum intus assumptæ, de quô videatur *Wierus libro observationum pag. 43.* & ipsæ araneæ vivæ testis nucum inclusæ & collo appensæ; Scarabæus vivus fulvo linteolo involutus, & collo suspensus, ovum it. in ægroti □na coctum, foraminibus pertusum, & in acervo formicarum defossum; hæc inquam, & quæ hujus farinæ plura passim extant, meras aniles sapiunt fabulas. De reliquis symptomatibus urgentibus notandum; quod ut ea ex propriis haurienda sunt loculis, ita nunquam sine respectu ad hypochondriorum dispositionem iis absolutè utendum sit. Sic malè consuleret ægro, quicunque hæmorrhagiam narium in quartanariis, stypticis sedare vellet, cui potius aperientia in superioribus proposita conveniunt. Simile judicium ferendum est de cæteris.

CAPUT XI.

De Fonte Diætetico.

TAndem *Diæta* sex rerum non naturalium legitimo absolvitur regimine. Cujus si potissimùm in febribus, nulla habetur ratio, frustrà adhibentur quævis generosa remedia. Ut igitur nostra medicamenta optatum consequantur finem, hanc quoque subnectere operæ pretium putamus; Est verò illa *naturalis, vitalis* & *animalis*. In *naturali* cibi conveniunt boni succi & facilis concoctionis, non nimis crassi, quales sunt ova sorbilia, pulli gallinacei gallinæque, carnes hædinæ, aves montanæ, perdices, & si quis me judice certet, inter aves turdus, inter quadrupedes gloria prima lepus. Pisces, licet omnes frigidæ sint naturæ & difficiles co-

ctu,

ctu, meliores tamen saxatiles, cobites barbatulæ, funduli, trottæ, lucius, percæ, &c. omnes tamen cum aromatibus, capparibus &c. conditi & parciùs assumpti, aliàs viscidum reddunt chylum. Abstinendum contrà ab illis, qui crassum feculentum chylum generant, quales sunt omnes cibi minus ⊖iti, maceratæ carnes bovinæ, muriâ & aceto conditæ, fumo nimis induratæ, suillæ & nimis pingues, aliæ, anserinæ, anatum, & reliquarum avium palustrium, pisces item paludosi, & aëre siccati, ut anguillæ, carpiones &c. item acida sibi relicta, & ipsum acetum copiosè haustum, lacticinia, dulcia ferè omnia, & leguminosa, maximè quoque nocet panis malè fermentatus, nec satis coctus, azymus, furfuraceus.

Potus sit paulò largior excepto tempore horroris, non tamen excessivus, cerevisia benè defecata, & amaricans non acescens, aut nimis recens. Cui etiam spleneticæ & hepaticæ herbæ infundi possunt, ut & febrifugæ, quales sunt, cent. minus, rosmarinus, melissa, scolopend. card. bened. &c. Vinum non sit ὀλιγοφόρον & acidum, sed Rhenanum, & quod huic proximè accedit.

Tempus cibandi sit statum, molliaque præmittantur crassioribus. Mensa non sit dubia; assumatur tantum, quantum pro viribus conservandis & restaurandis sufficit, sic tamen ut ne gravetur ventriculus. Illam verò vulgi methodum, quod in abstinentiâ & inediâ curationis spem ponit, approbare nequeo; cum hôc modô vires maximè prosternantur, quarum tamen robur in chronicis morbis præcipuam curationis spem facit. Ante exhibitionem tamen specifici, vesperi à cibo abstinere potest æger, vel saltim Platonicè cœnare. Ut & si die paroxysmi jusculo contentus esse potest, usque dum finierit paroxysmus, mitiùs urent febriles faces.

In *Vitali* aër non sit crassus, frigidus nimis, aut nebulosus, sed temperatus, moderatè ad caliditatem inclinans, qui si natura talis non est, per artem producatur. Nec semper ceu testudo domi situm contrahat æger, sed quandoque liberiori se committat aëri, quem quartana, præ aliis chronicis morbis, optimè perfert; sic ut hujus cum regione, potissimùm boreali & frigidiori mutatio, sæpè malum terminet. Inprimis caveat sibi ab aëre nocturno, qui tùm viscerum tono tùm sangvinis circulo maximas struit insidias. Ideò cubiculi fenestræ claudantur curiosè.

In *Animali somnus* non sit excessivus. *Vigiliæ* instante paroxysmo prosunt, ut meliùs sibi ipsi succurrere, vel auxilium aliorum expetere possit æger. Lucubrationes nocturnæ compescendæ sunt. *Motus* jejuno ventriculo, usque ad sudorem exclusivè omni culpâ caret. *Quies* præ motu amica sanguinem & chylum vappescere facit; ut capiunt vitium ni moveantur aquæ. Alvus quotidie sit aperta, ideò à solis roborantibus & aromaticis calidioribus caveat sibi æger, eaque cum humectantibus interpolare discat. Venus quia omnes debilitat partes & refrigerat potenter, suspensa sit. *Animi pathemata* sanæ mentis subdantur jugo, mœror & tristitia fugentur potius, ne, ut solent, sedulam medici ludant operam, sed ægrum cum morbo post terga reliquant.

TRIUNI DEO GLORIA.

PAr Medicis, SCHOTTI, curſus ſublimiùs urges,
Hinc Te, quam meruis, laurea ſumma manet.

Nobiliſſimo Dn. Doctorando hæc benevolâ manu,
& cum voto omnigenæ proſperitatis adp.

PRÆSES.

NUlla magis ſtrages producere viſitur orbe
humani generis peſtis quàm querquera febris,
febris, quæ reliquis cunctis crudelior extans
aut necat, aut vitiat corpus, mireq́ fatigat.
Inter eas quamvis melior quartana putari
poſſit, nulla tamen mage ſubdola, nulla rebellis
æquè, ac opprobrium medicorum dicitur unum.
Tu verò tantum generoſis auſibus hoſtem
is oppugnatum doctis feliciter armis.
I felix! ſic Te victorem fama manebit.

Nobil. & Clariſſ. Dn. Doctorando honores in Medicinâ,
quos ambit, ſummos feliciſſimos ominor

Georg. Wolffg. VVedelius D.

QUARTANAM ſcopulum vocat medentum
famæ, vulgus agreſte, ſcandalumque:
indigne tulit hoc Hygea dudùm,
& mendax crotatum palàm repreſſit.
Non vulgare ſapis, perite SCHOTTE,
quartanamque febrem fugare tentas
auſu plauſibili, favente Phœbô &
mitram purpuream ſimul ferente;
quam fauſtam tibi comprecor, ſecundam
famæ, milleque commodûm feracem!

Fauſtæ congratulationis ergò Nob. & CL. Dn. Doctorando,
Amico honoratiſſimo, pon.

Auguſtinus Henricus Faſchius,
D. P. P.

